

Wilhe

1745



9710

66

To. C. 29

OCCASIONE NVPTIARVM

VIR SVMME REVERENDVS

GEORGIVS Lebrecht
WILKE

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR
SACRORVM QVAE MISENAE IN TEMPLO
CATHEDRALI DIVAE VIRGINIS ET IN AGRO VRBI
ATTRIBVTO FIVNT ANTISTES GRAVISSIMVS

CVM
FEMINA SPECTATISSIMA
SOPHIA ELISABETHA
WILKE

EX PROSAPIA WILDVOGELIORVM

ORIVNDA
MEMORIAE CONSORTII PER L. ANNOS
FELICITER GESTI REDINTEGRANDAE CAUSA

D. XI. FEBRVAR. clō lō ccx xxxv
DENVO CONTRAHIT

AD LEGEM PAPIAM POPPAEAM ET SCTVM
PERSICIANVM

DE NVPTIIS SEXAGENARII CVM QVINQVAGENARIA
JVRE CIVILI IMPROBATA
ALIQUA DISSERIT

767-3372

FILIVS GRATVLAVNDVS
CAROLVS Gottfried WILKE

A CANCELL. IN ARCHIV. INTER. REG. ELECT.

DRESDAE LITERIS IO. GVIL. HARPETERI.





Inter leges præclaras, quibus antiquitas Romana usque ad nostra commendatur tempora, magnam haut dubie mereri laudem, illam a *M. Papio Murilo & Quinto Poppæo Secundo* legem latam, nemo facile erit, qui neget. Sic illustris visa fuit insequentiæ ævi Jure Consultis, ut in illustranda ea æque ac *Julia* illa de maritandis ordinibus, tanquam parte hujus, operam collocare operæ pretium duxerint. Acervatim eam interpretatos esse Jurisperitos, *Julium Mauritianum* sex libris, *Marcellum* totidem, *Terentium Clementem & Ulpianum* viginti, *Paulum* decem & *Cijum* quindecim, inscriptiones Pandectarum evincunt. In turba, ista personarum, quæ ad fatum ejus præpediendum maxime annitebantur, ab interitu eam integram liberare, temporum injuria haut est passa. Allaborarunt egregii nostri ævi viri, vindicare eam, & ex sparsis ubique fragmentis contexere & restituere, quantum per nefas *Triboniani* consortiumque licuerit. Nullum tamen continet caput, quod magis animum excitare soleat, quam illud, quod de *Sexagenariorum & Quinquagenariorum* nuptiis agere creditur. Insequentiæ in eo, quem ad hanc legem conscripsit, commentario *Jac. Godofredus*, verba conspiciantur: *Sexagenario* masculo & *quinquagenaria* femina,



femina, nuptias contrahere, jus ne esto. Sterilitas, circa hos annos contingens, conjunctioni vitæ, quæ non nisi liberorum procreandorum causa instituta est, minus conveniens videbatur, imo matrimonia earum, quæ ab annis jam marcebant, derisui fuisse legitimus. Sic enim respondet *Mitio Demea* apud *Terentium*:

Satin' sanus es?

*Ego novus maritus anno demum quinto & sexagesimo
fiam?*

Veteres, spatio horum annorum fecunditatem humanæ naturæ esse circumscriptam, sibi persvaserunt. Aristoteles, naturæ vires ad generandum usque ad septuagesimum sufficere annum, in Politicis a) asserit, mox autem sibi ipsi contrarius, b) & infrequentia casuum, asserta haut probantium, motus, in anno sexagesimo quinto subsistit. *Plinius* de mulieribus testatur, uterum ab anno quinquagesimo sic eis exarescere, ut suscipiendæ adhuc prolis spes plane interciderat. Tam sibi ipsi discors opinio eorum, qui corporis humani rimantur naturam, reperitur, ut nihil exinde certi depromi possit. *Lex Papia* nostræ satis edocet, Jure Consultorum Romanorum de hac re sententiam fuisse constantiorem, quæ quippe sexagesimum annum fecunditatis masculorum finem, quinquagesimum feminarum esse, pronunciavit. *Paulus* in L. 21. D. de Act. Emt. secundum legis hujus effectum, decernere non dubitavit, quum venditorem ancillæ, quinquaginta annis majoris, ad resarciendum ex defectu sobolis proveniens damnum, ignorante emtore, ex emto teneri, pronunciet. *Lex Papia* eadem certitudine, qua, ut *Dio Cassius* c) admonet, initium generandi, hoc est pubertatis annos, in fœminis definivit, eadem in masculis & fœminis simul exitum statuit, ubique semper naturæ rationem habens humanæ. *Plinius* testatur de *Massanissa Rege*, referens, post octoginta
fex

a) Lib. VII. c. 16. b) Hist. Anim. Lib. V. c) Dio Cass. L. VI.

sex annos, filium eum procreasse, cui & Valerius Maximus a) & Florus b) hac in re consentiunt. Sed quando natura latius evagatur, leges tamen certæ esse, & Jure Consulti auctoribus, *Pomponio* in L. 8. ff. de L. L. & *Ulpiano* in L. 64. de R. J. non de eo, quod raro, sed quod ut plurimum accidere solet, statuere debent, a quo tamen juris præcepto *Paullus* in L. 12. ff. de Stat. Hom. deceptus *Hippocratis*, quam per errorem ei hic adfinxit, auctoritate recessit. Talia ergo inter personas effoetas celebrata matrimonia non solum Romanis, sed & aliis gentibus, maxime non invisâ esse non potuerunt. *Plutarchus* in Solone ea vehementer increpat, & perpaucâ eorum exempla Romæ reperiri posse arbitror, antequam avaritiam, sub specie nuptiarum aliorum inhiantem bonis, luxus in rem publicam invexerit. Matrimonia Romanorum, quæ sanguine & bello quodammodo comparata ab initio sunt, tanta ab iis primis temporibus castitate colebantur, ut præter sobolis procreationem nullum admittere alium finem viderentur. Procumbente tamen jam reipublicæ statu, & ab hac virtute ad vitia descitum esse, leges ipsæ, quibus vitiis obviam itur, evincunt. Hoc malum, quo per nuptias personarum generandi incapacium adfligebatur civitas Romana, *Legem Papiam* coercuisse, creditur. Apud *Lactantium* c) has conjunctiones, effectu destitutas, *lege Papiæ* damnari legimus insequenibus verbis: *Utrum sexagenarius factus est, & lex Papiæ fibulam ei imposuit, an impetravit jus liberorum?* Sexagenariis ergo *Lex Papiæ* fibulam imposuisse dicitur, de qua fibula, scenicis usitata, *illustris Heineccius* in Commentario ad hanc legem exarato multa, ut solet, egregia suppeditat. *Valerius Maximus* d) narrat, *Augustum* Imperatorem nuptias, quas *Septimia* pariendi jam impotens, odio filiorum ducta, inierat una cum testamento, quo eos excluderat, rescidisse. Hoc loculento nobis est testimonio, quam

A 3,

maxi-

- a) Lib. 8. c. 14. b) in epitome Liv. I. 50. c) Lib. I. Inst. div. c. 16.
d) Lib. VII. c. 7. §. 4.

maxime has nuptias seculo suo pudendas esse, judicaverit Imperator, ut, emicante adhuc populi Romani potentia, reprobare eas, non permituerit. Quid mirum, si hic ipse Imperator de prohibitione horum coniugiorum, in *Lege*, quam ferri curavit, *Papia*, aliquid etiam cavisset. *Legis Papiae* opus id fuisse, viguisseque usque ad *Justiniani* tempora illam, quæ matrimoniis *sexagenariorum* cum *quingagenariis* feminis interdixit, legem, L. 27. C. de Nupt. affirmat. Imperator enim ea, quæ solet, ad evertendas leges proclivitate & ejus vim labefactavit atque destruxit, rescribens *Joanni* suo hunc in modum: *Sancimus nuptias, quæ inter masculos & feminas majores vel minores sexagenariis vel quingagenariis lege Julia Papia prohibita sunt, homines volentes contrahere ex nullo modo, vel ex nulla parte impediri.* Miror sane, quod legis hujus vigor, ævo ad innovandum tam prono, usque ad *Justiniani* ætatem illæsus permanserit, sublatis tamen jam a *Constant. M.* *Lege Papia* introductis cœlibatus orbitatisque pœnis, ut lex Vn. Cod. Theod. de infr. cœl. pœn. commonstrat. Tam arcto enim inter se nexu cohærent pœnæ, quas dixi, & sanctio prohibitarum nuptiarum, ut facile divelli non possint, unoque corrente & alterum cadere videatur. Eisdem enim pœnas sequutas esse has nuptias, notum est iis, qui legis eximia hujus fragmenta insequentiaque *SCta* perscrutantur. Tendeat enim *Lex Papia* ad replendam nova sobole civitatem, bello exhaustam, ad abstrahendos ab inanibus vilibusque complexibus civium animos, & ad locupletandum, quod a pecunia laborabat, ærarium, unde varia etiam sortita est nomina, & *Decimaria* & *Caducaria* sæpe appellata. Hæ pœnæ vero sæviebant in temeratores legis, reipublicæ tam salubris atque faustæ, Perdurasse tamen, abrogatis cœlibatus pœnis, legis, quæ matrimonia *sexagenariorum* vetat, scintillam, lex citata *Justiniani* docet. Nunc vero non possum silentio præterire ea, quæ *Perizonius* in Commentario ad legem *Voconianam* scripto, *illustris*que *Heineccius* jam dudum animadver-

adverterunt. Sat variis argumentis hi, de restituendo veteris Juris prudentiæ splendore tam bene demeriti, viri probarunt, *Jacobum Godofredum*, arbitrando, interdictas sexagenariorum nuptias ex *Lege Papia* ipsa proficisci, compilandoque tale caput in Commentario, æque ac omnes, qui ipsius auctoritate præstricti hanc sententiam tueri conantur, magnum in re ista errare errorem. Huc ablegare lectorem sufficit mihi, aliqva tantum, quibus *Godofredi* refutarunt opinionem, & ex quibus insequentibus scænerari rebus lucem, opus habeo, ex eorum scriptis delibatur. Ex insigni *Ulpiani Fragmento* a) res optime componi potest. Id enim hujus rei veram sistit faciem. *Lex Papia*, quæ pœnis prosequēbatur severis in civitate orbos & cœlibes, quæ damnabat matrimonia inter homines, honore conspicuos & viles, quæ denique ad ineunda matrimonia virente ætate tam eximii invitabat beneficiis *sexagenarios* & *quinqvagenarias*, tanquam ad juvandam prole rem publicam ineptos, a rigore harum pœnarum absolvit. Romani tamen videntes, multos tam provectæ ætatis homines, renitentes *Legi Papia*, post hos demum annos sera contrahere matrimonia, huic audaciæ per *SCrum Perficianum* obicem ponere curarunt. Hoc, ut ait *Ulpianus*, *perpetuis* eos tenet pœnis, & ex eo ideo tempore *sexagenariorum* nuptiæ pœnis haut fuerunt immunes. *Claudius* adhuc aliquid virium *sexagenariis* inesse ratus, eatenus pœnis eos exsolvit, quatenus minores quinqvaginta annis jungi sibi paterentur feminas. Tandem autem *Neronis* tempore *SCrum* apparuit *Calvisianum*, & ut *Illustri Heinccio* placet, *Calvirianum*, cavens, id quod *SCrum Claudianum* de *Sexagenariis* ducentibus feminas minores quinqvaginta annis de anu juvenem sibi despondente, minime valere. His *SCris Legi Papia* obrogatum fuisse eleganti *Ulpiani* elucet loco. Originem tamen has sanctiones *Papia Legi* debere, negari non potest & facile exinde accidere potuisse *Legem Papiam* ipsam aliqando, ut in L. 27. C. de Nupt. pro *SCris* occurrere. Ex *Perniciano*

a) Tit. LXVII. 2.



ciano verum *SCto* emanasse poenas, quæ *sexagenariorum* quodammodo irrita reddebant conjugia, res est dubio carens. Ipsum *SCrum* *Tiberii* fuisse tempore latum, adfirmat *Suetonius*. a) Ibi insequentia extant verba: *Capiti Papia Poppæ legis a Tiberio Cæsare, quæ sexagenarii generare non possent, addito, obrogavit. Illustris Heinkecius præterea monet, Consulem non Pernicianum, sed Perscianum, esse vocandum, ipsumque Paulum esse Fabium Persicum, qui tertio nempe ante excessum Tiberii anno cum L. Vitellio tenuit fasces. Ab hoc Persico nomen SCto huic Persicino inditum esse, dixit, addens, Persicum hunc, omisso nomine gentili, Persicum solum adpellari, id quod ex Inscriptione lapidis apud Gruterum probat.*

*Matrimonia, a sexagenariis masculis & quinquagenariis feminis contracta, quodammodo irrita fuisse, superius dixi. Post SCrum Perscianum, quod cœlibatus poenis ea reddebat obnoxia, illorum conditio haut felicior esse potuit, quam eorum, quæ Lex Papia jam pridem damnauerat. In horum etiam numero & ea habere non dubito. Audiamus ipsum Legi Papia sancitum, & collata eorum indole ex utraque parte, quid adhuc supererit dubii, videamus. Antea autem commonesciant, necesse est, quo eximio jus connubii splendore atque prærogativa apud Romanos eminuerit. Pars erat juris illius *Quiritium*, ad cuius exercitium, cum patribus promiscuum, primis temporibus frustaneo conatu plebs adspirabat. Adeo cum civibus solum erat commune, ut omnes ab ejus usu alia arcerentur gentes. Non prohibebant Romani quidem coire matrimonio & peregrinos & servos, sequuti hac in re rationem naturæ, illud tamen sub nomine matrimonii, hoc contubernii factum esse, constat. Romani cives jure connubii, hoc est, jure justarum nuptiarum, iustorumque liberorum, & dotis ditari solè gestiebant. Matrimonia a connubiis distincta fuisse neminem fugit. Ita enim *Kipiano* b) in definitione, quam in fragmentis Inst. de justis nuptiis suppe-*

a) Claud. c. XXIII.

b) Frag. VI. 1.

suppeditat, ait: *Iustum matrimonium est, si inter eos, qui nuptias contrahunt, est connubium.* Ubicunqve connubii, sub voce matrimonii, mentionem injicit, semper addere *iustum* solet, ex quo & matrimonia dari injusta adparet, connubio autem nihil adjicit. Hoc idem *Servius* facit ad illa *Virg. Æn. I. 177. Tit. 4. §. 5.*

Connubio jungam stabili, propriamqve dicabo.

Connubium, inquit, est jus legitimi matrimonii. Apud *Patriatorem* *Leg. Mos. & Rom. Tit. 4. §. 5.* invenimus: *Matrimonia sine connubio:* Hæc sunt matrimonia effectibus juris civilis, hoc est jure connubii familiam ordinante, destituta, quamvis aliqua pauca ex jure civili sortiantur, ne ad concubinatus statum detrusa videantur. Id enim, quod jus naturæ, & secundum *L. 68. D. de R. N. Jus gentium* quodammodo aspernari vel efflagitare videtur, & matrimoniis & connubiis Romani tribuerunt. Auctore enim *PAVLLO* in *L. 14. §. 2. D. de R. N. serviles cognationes & in hoc jure observandæ sunt.* Juris autem effectus civilis, dotis lucra, dulcia, matronæ, uxoris, mariti, filii, nomina ab horum consortiis exulasse certum est. Nuptias *sexagenarii* cum *quingvagenaria* initas, fuisse matrimonia sine connubio, hoc est, nuptias, quæ jure civili, nisi in paucis adjuvabantur, pluribus deducam. *Legem Papiam* ea, quæ reprobaverat matrimonia, ad eandem redegeisse conditionem, lex ipsa docet:

Si qui scienter dolo malo adversus hanc legem coierint, nec vir, nec uxor, nec socer, socrusve, nec gener, nurusve intelliguntur, liberi quæstiti native legitime heredes sui nec sunt, neve parentibus profunto, neve hereditatem, quæ eis lege obvenerit, legatumve, ipsi conjuges neque inter se quidquam capiunt, mortuaque muliere, dos caduca esto.

Ex quibus abunde patet, in his matrimoniis, nec justos liberos, nec justam uxorem, & dotem denique caducam fuisse. De *Sexagenarii*

B

nuptiis

nuptiis cum *quingvagenaria* idem esse adfirmandum, subsequencia pluribus evincunt. *SCrum Persicianum* cum nuptias *sexagenariorum*, ad evitandas cœlibatus pœnas, nihil valere jubet, id ipsum, quod *Lex Papia* de nuptiis aliquibus sanxerat, & de his sanxit; Quomodo enim horum domus gratis, filii, uxoris, socrus, nurusve nominibus personare potuissent, qui, pervicacia sua reipublicæ jussui obedire detrectantes, adhuc pro cœlibus reputabantur? Cœlibem vero esse, & uxorem, filios, nurum habere, cum ratione pugnat. Digna erat pœna tanta civium contumacia, digna ut ipsa adficerentur refractarii cives, & aliquando a cœlibatu abstererentur urbem devastante, acuerentur excitarenturque ad ea officia explenda, ad quæ res publica eos aluerat; exemplis enim pœnarum, ut monet L. 31. D. de dep. continentur homines in officio. Neque ergo matrimonia *sexagenariorum* & *quingvagenariarum* uxoris, mariti, filiorum, condecorabantur adpellatione, nec condecorari unquam poterant, quam diu hi in cœlibum adhuc hærebant numero. *SCrum Persicianum* vero sempiternas irrogabat iis matrimoniis pœnas, non nisi morte solvendas, adeoque & matrimonia, quæ a *Lege Papia*, & ea, quæ ex *SCro Persiciano* infirmabantur, quoad jura & indolem sibi exæquavit. Neutra enim statim rescissa fuisse, & vox, *caducum*, & L. 13. §. 7. ad Leg. Jul. de Ad evincunt. *Jacobus Godofredus* & *illustis Heineccius* jam dudum animadverterunt, *Legem Papiam* ejusque *SCra* minus, quam perfectas leges, fuisse. Minus autem quam perfecta lex est, ut ait Vlp. in Frag. I. II. quæ vetat aliquid fieri, & si factum sit, non rescindit, sed pœnam injungit ei, qui contra legem facit. Passim in legibus verba, *filius* & *uxor*, de his consortiis prædicantur, quibus perstitisse ea satis probatur, quamvis jacturam, quam patiebantur, Juris consulti, alibi indicare, non superfederint. Ex L. 2. §. 1. D. de his quæ ut indig. idem colligi posse, credo, quæ virum, qui contra mandata uxorem ducebat, in ea provincia, ubi officium gerebat, amissione lucri, ex uxoris testamento relictæ, multabat. Non ignoro quidem,

dem, prohibitionem harum nuptiarum ex lege *Papia* haut profluxisse. Eo minus tamen negari potest, hanc legem ad imitationem *Papia legis*, ob paritatem materiae, quam tractat, latam fuisse, quo magis *Œcri* de utraque lege, sine discrimine & in una verborum serie loquantur, ut L. 3. §. 1. D. de Don. int. vir. & uxor. monstrat. Proinde omnia hæc matrimonia, quamquam contra legem contracta, non statim rescissa, sed dispendio juris connubii coercita fuisse, adparet. Magis autem me ex cruciat legis citatæ tenor, quum de testamenti lucro uxoris contra legem ductæ, & ideo de matrimonio hujus diuturnitate, imperante *Severo*, loquatur, cum tamen, ex *Marci* & *Commodi* ætate, quorum orationis vestigium in 16. D. de spon. deprehendimus, omnia hæc matrimonia statim fuerint discussa; Ad hoc, quod respondeam, non habeo, nisi ex nuptiis ejus, qui in provinciis officium gerit, non adeo magnum in Rempublicam redundasse, dicam, damnum, quum huic concubinam ex Provincia sibi eligere L. I. D. de Conc. permittat. Concubinæ autem donari juste poterat per L. 5. D. de Conc. quæ nec inhonestas meretrici factas donationes propter adfectum prohibitas esse ait, ergo etiam sine matrimonii legi, ne opprimerentur Provinciae incolæ, facile fraus fieri poterat, quod leges tamen tolerabant.

Pergamus nunc, ad ceteras juris connubii effectus, quibus matrimonia *sexagenariorum* cum *quinquagenariis* egebant. Abiis enim, quorum vires jam senectute enecatæ, nec filii sperabantur, nec hi procreandorum liberorum causa coibant. Æquum ergo videbatur, poenis eos prosequi. Et quamvis ex eorum amplexibus procreati fuissent filii, *Legem Papiam* tamen, quæ sæcunditatem masculorum *sexagesimo*, sæminarum *quinquagesimo* anno, finiri docebat, pro legitima prole suspicor eos non agnituram fuisse. Me in hac opinione confirmat L. 12. Cod. de Leg. Her. Omnia, quæ contra eam opinionem adferri possent, removet dubia, luculento, quod suggerit, exemplo. In hac Advocatio Cæsarea, freta haut dubie lege

Papia & ejus *SCto*, interrogabat Imperatorem: num partus, a quinquagenaria editus, patri succedere, hereditatemque nancisci deberet? Addubitabat de hac re incluta illa Advocatio, quæ Cæsaris solertiam in dandis responsis sæpe & in L. f. C. de Pact. & in L. 27. C. de Fideiuss. occupabat, & cujus dubium, pro ea, quam præ se ferebat, auctoritate, haut inane esse poterat. Respondet Imperator eum in modum, quo prospici potest, eum, pro consuetæ suæ clementia, imperitari jura liberorum, quibus antea liberi ex quinquagenaria editi caruerant: Partum quæquam Mirabilem, & qui raro contingat, ad successionem admitti tamen debere, ne, quæ probabiliter a natura producta essent, respuerentur, & ne aliis ab similes, quos natura similes fecisset, fierent. Ex quibus pronò fluit alveo, a quinquagenaria editum partum, neque pro justo filio, nec pro suo herede haberi, neque ad patriam potestatem, nec ad effugiendam pœnam parentibus profuisse. Odiosior inde monstro erat, cum illud per 135. D. de V. S. parentibus, ad capiendâ legis *Papiae* præmia, inferviret, ille autem aliis similis nec sibi, ad capiendam hereditatem patris, sufficeret. Justi autem liberi patris potestati subsunt, sui heredes, parentibusque profunt: Hæc autem omnia aliter se habuisse in matrimoniis *sexagenariorum*, lex ista satis edocer. Unde autem dubium oriri potuit? quum lege *Papia* & *SCto*, huc spectante, res omnis definita? Nisi magnopere fallor, hoc pœnis cœlibatus, a *Constantino M.* sublatis, dubium originem debere videtur. Pœnis enim cœlibatus abrogatis, quid de nuptiis *sexagenariorum* statuere deberent, ignorarunt *ICTI*, usque Imperator has nuptias expresse revocaret, cohonestaret. Hoc accidit in L. 27. C. de Nupt. Non contentus enim, tribuere partui a quinquagenaria edito jura filii, expressa etiam lege nuptias *sexagenariorum* cum quinquagenaria approbare, è re ducebat. Fartasse dubium *Cæsariensis Advocationis* d. L. 27. de nupt. ansam dederat, post eam enim omnia de his matrimoniis dubia effato imperiali plane amputata esse, lex ipsa ostendit.

Quæ

Quæ quum ita sint, satis edocuisse credo, nuptias *sexagenariorum*,
 quas cum *quingvagenariis* contraxerant, post *SCrum Perficianum* a
 nuptiis, in *L. Papia* damnatis, nulla in re discrepare, matrimoniaque
 sine connubio, hoc est, absque patriæ potestatis jure, justis liberis,
 iusta uxore, immo & dote, quæ caduca fiebat, & successione fuisse.
 Cave tamen credas, ob defectum juris connubii, seu iusti matrimo-
 nii, hæc sine connubio matrimonia *sexagenariorum* a concubinatu
 nulla in re sejuncta fuisse. Restat inter ea non exiguum adhuc di-
 scrimen. Quamvis enim concubinatus, cujus nomen ex lege *Papia*
 magis inclarescebat, eo, quo illum Romani observarunt, more, &
 matrimonium jure naturæ licitum esse possit, ut *celeb. Thomasius*
 a) probavit, in sensu tamen juris civilis hoc matrimonium esse
 non poterat. Illud enim injustum matrimonium aliquam juris ci-
 vilis partem, quæ sustentabatur, & quam Romani ut infimum juris
 connubii gradum ei indulserant, adhuc de civili jure delibabat. In
 matrimoniis enim sine connubio, & per consequentiam in nuptiis
sexagenariorum & *quingvagenariarum*, adulterii accusatio per *L. 13.*
§. 2. D. ad Leg. Jul. de Adult. locum habebat, quod in concubinatu
 secus fuisse *L. 13. pr. D. ad Leg. Jul. de Adult.* evincit, eo tamen casu
 excepto, si matronæ nomen haut amiserit, ut puta, quæ patroni fuit
 concubina. Datur ergo in justis & injustis matrimoniis adulterii
 vindicatio, quod tamen non ad eas, quæ solo naturali jure conti-
 nentur, conjunctiones prorogandum, ut idem *Ulpianus* in lege adle-
 gata affirmat. Dotem etiam his matrimoniis accessisse, ex ejusdem
Ulpiani fragmentis constat: In matrimoniis enim, contra *SCrum Per-*
ficianum & *Calvisianum*, ut & contra *Legem Papiam* ipsam contractis
 illam caducam fieri mortua muliere, ipse edixit. Caducum autem
 apud eundem b) adpellatur id, quod quis capere possit, aliqua vero ex
 causa non cepit; quod de concubinatu autem prædicari nequit,
 propter *L. 3. D. de J. D. Dos sine matrimonio esse non potest, ubicun-*
B 3
que

a) Jur. Div. Lib. III. §. 169.

b) Ulp. Frag. XVIII.



que ergo matrimonii nomen non adest, ibi nec dos est. Dote etiam im-
 primis uxores a concubinis segregatas fuisse, apud Plautum a) legi-
 mus. Dotem his in matrimoniis adfuisse, igitur patebit, non omni-
 bus tamen, ad dotes pertinentibus, fruitam esse hanc dotem iuribus,
 negari nequit. Primum enim est, quo premi videtur, incommo-
 dum, quod ipsis feminis, matrimonia ista injusta ineuntibus, tutor
 aliquando ad dandam, dicendam, promittendamve dotem, defuerit.
 Cato enim apud Livium b) eloquitur: *Majores nostri nullam, ne priva-
 tam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt.* Tria tutela
 mulieris genera prostant, testamentaria nimirum, Legitima, Atiliana,
 seu Prætoria. Legitimæ tutelæ vero impuberes etiam capaces fuisse,
 Ulpianus c) testatur & Cujacius, d) & hoc eo magis, quia tutela
 legitima hereditatis instar erat, & ex XII. tabularum jure descende-
 bat, in quibus ita erat cautum: *Pater familias uti legasset super fa-
 milia, pecunia, tutelave suæ rei, ita jus esto,* & paucis interjectis:
Agnatus proximus tutelam nancitor. Ad agnatum ergo devolvebatur
 legitima tutela, quamvis impuberem, cum tutela legitima inter bona
 connumeraretur, quæ diminui ullo modo nefas ducebatur. Sic ad-
 stricta erat ad vitam & capitis minutionem agnati impuberis; ut
 facta alienatio ne cessione quidem muliebris tutelæ, quam apud Ro-
 manos valuisse Ulpianus e) monstrat, ultra dictum tempus duraret.
 Quum vero *Lex Papia* in hunc casum tutoris dationem solum pro-
 mitteret, quando legitimus adesset tutor pupillus, eo ipso tutorem
 Prætorium ex *Lege Atilia* nancisci mulieres haut potuisse suspi-
 cor. Si ex *Lege Atilia*, priore *Papia*, jam datus feminis fuisset tutor,
 habentibus legitimum tutorem pupillum, sanctio *Papiae Legis*
 omni destituta fuisset utilitate, quod legis auctoritati veterumque IC-
 torum prudentiæ refragatur. Quum vero mulieres, sub tutela pupilli
 agnati degentes, ad dotem, in nuptiis contra *Legem Papiam* contra-
 ctis,

a) Plaut. Trin. III. 2. v. 63. b) Liv. XXXIV. 2. c) Ulp. Frag.
 XII. 24. d) Cujac. XXII. 28. e) Ulp. Frag. XII. 7.

ctis, promittendam, eam ob causam tutorem adipisci plane non possent, quia non ex hac, sed contra hanc legem nubebant, matrinonnis per *SCrum Perficianum* infirmatis, quæ cum his convenisse, satis monstravi, idem accidisse, ex his facile est visu. Imminutum quibusdam in rebus jus dotium ejusmodi matrimonia habuisse commonui. Ea enim jura, quæ reipublicæ causa conservabant dotem, a consortiis *quingvagenariarum* abfuisse, L. 3. D. de J. d. docet, quæ hanc ob rationem feminarum dotem a Republica custodiri ait, ut propter eam hæ nubere possint. Nuptiis autem *sexagenariorum* cum *quingvagenariis*, tanquam reipublicæ inutilibus, *SCrum Perficianum* adversatur: Hinc eorum dotes nullo privilegio munitæ. Dotem ipsam, patre & muliere mortuo, apud maritum haud remansisse, vigor ejusdem *SCri* & *Ulpianus* laudato loco probant. Hinc confestim ab initio erat caduca, nec marito jus retentionis ex L. 7. §. 1. & L. 8. D. de Imp. in R. D. quod tunc temporis vigeat, patrocinaratur, impensis tamen, quæ dotem ipso jure minuunt, deductis, quod *Papinianus* in Leg. 61 D. de R. N. satis ostendit, neque enim in quæstione de restituenda dote competentia beneficium ei, propter eandem rationem, competere potuit. Intercessit itaque his matrimoniis quidem dos, sed juribus multis mutila atque manca, adeo, ut cum *Ulpiano* in L. 13. §. 1. D. de hered. pet. quasi dotem appellare non dubitem. Multa præterea, quibus justa gaudent matrimonia, jura in istis nuptiis deficere, ex dictis sequitur. Cum juste non coierant conjuges, justorum quoque conjugum jure frustrabantur, ita, ut separatio eorum pro *vero divortio* haberi non possit. Dissolvuntur enim connubia tantum ob eas, quæ lege nituntur, causas, quarum jam aliquas, ante *Theodosiani*, *Valentiniani*, *Anastasiani* & *Justiniani* de hac re constitutiones, extitisse *Paullus* in L. 1. D. de div. prodit. Necessum itaque non erat, ut ejusmodi matrimonio conjuncti septem præter libertum testes, ex Lege Julia de adulteriis, adhiberent, nec tabularum dotalium

lium contractio, ut ex Tacito a) colligimus, nec clavium redditio, neque ut solemnia, quæ *Briffonius* ex parte servavit, verba liberti pronuntiarentur voce, requirebatur. Namque & hic illi juris regulæ, quæ in L. 35. D. de R. J. continentur, nihil, nimirum, tam naturale esse, quam aliquid eo, quo colligatum est, genere dissolvere, aliquid est tribuendum.

Supereſt, ut diſquiramus, num actionem rerum amotarum inter ſe conjuges hujus matrimonii experiri potuerint? Negativam ſententiam tuetur ratio, propter quam inter conjuges per L. 2. D. de reb. am. non datur actio furti, in matrimonii ſcilicet honorem temperantur verba in factum. Qui honor, cum ex jure Civili, quod adverſatur *Sexagenariorum* nuptiis, proveniat, ea quoque, quæ in honorem juſti matrimonii lege conſtituta, ad injuſtas *Sexagenariorum* nuptias non ſunt trahenda. *Ulpianus* in L. 17. D. de reb. am. quæ a nobis diſputata ſunt illuſtrat, ſi concubina, inquit, res amoverit, hoc jure utimur, ut furti teneatur, conſequenter ubicunqve ceſſat matrimonium, ut in ea, quæ contra mandata convenit, ex quibus ad nuptias *Sexagenariorum* cum *Quinquagenaria* argumentum duci poterit, quia eorum matrimonium pro injuſto habetur.

Ad donationes, quæ inter virum & uxorem prohibentur, progrediendum. Circa has quoque inter juſta matrimonia, & injuſta, qualia ſunt *Sexagenariorum* cum *quinquagenariis* feminis, & quæ lege *Papia Poppææ* arcentur matrimonia, inſignis intercedit differentia, cum *Ulpianus* in L. 3. § 1. D. de don. int. vir. & uxor. in eo perhibeat teſtimonium, quod, primis Reipublicæ temporibus, injuſtis conjugibus, proinde etiam inter *Sexagenarios* & *quinquagenarias* conjuges, donationes non fuerint prohibitæ, ſed ſucceſſu demum temporis, ob eam rationem, ne eorum conditio, qui delinqvunt, ſit melior illorum, qui ſecundum leges coierunt.

Tan-

a) Ann. XI. 30.



Tandem justæ nuptiæ tribuunt marito jus defendendi uxorem, cum ex ignominia, uxori illata, & in ipsius personam ignominia per consequentiam resultare videatur. Si vero secundum communem & usitatum usum loquendi *JCtorum* hac in re argumentari liceat, auctore *Vlpiano* in L. I. D. §. 3. de injur. inter justas, & injustas, *sexagenariorum* cum *quingvagenariis* feminis nuptias, singulare sese exerit discrimen. Utitur enim dicta in lege verbis *maritus & uxor*, quæ injustis nequeunt nuptiis accommodari, & a *JCtis* in sensu juris accipiuntur, aut certe, si ea promiscue adhibuerint, aliis circumscripterunt verbis, quibus intelligitur, de qua specie matrimonii loquantur. Quod ex eo luculenter apparet, cum per consequentiam injuria secundum dictam legem afficiamur, quando illis, quæ nostræ potestati nostroque adfectui subsunt, injuria fiat. Maritalis in uxorem potestas quidem in legitimo matrimonio, nisi quis subleat politicam, evalescente confarreationis, coemptionis & usus usu, sed non affectus, exulat. *sexagenariorum & quingvagenariarum* nuptiæ conjugibus nec potestatem, neque ex mente *LL. Romanarum* adfectum largiuntur. Sæpe enim a nobis excitatus *Vlpianus* in L. 6. §. 2. D. de Oper. Serv. per verba; *Voluptatis vel adfectionis æstimatio non habebitur veluti si dilexerit eum Dominus, aut in deliciis habuerit*, probat, *JCtos* libidinose adfectionis nullam habere rationem.

Sufficiant, quæ de matrimoniis sine connubio *sexagenarii* cum *quingvagenaria* ex *LL.* & antiquitate eruta conscribere tentavi momenta, motus *Senecæ* auctoritate arbitrantis: DIGNVM ESSE NON SOLVM VENIA, SED GENEROSVM, RESPICIENTES NON AD SVAS, SED AD NATVRÆ VIRES, CONARI ALTA.



*

*

*

His compositis, AD VOS, PARENTES HO-
 NORATISSIMI, me converto. VOS, TE,
 PATER SVMME VENERANDE, SEXA-
 GINTA, TE, MATER EXOPTATISSIMA,
 QVINQVAGINTA ANNIS LONGE SENIO-
 RES, nuptias cum denuo quasi parare videam, mirifi-
 ce commoveor. Cessant ista, quæ in superioribus, de
 nuptiis SEXAGENARIORVM cum QVINQVAGENA-
 RIIS feminis, ex mente JCTORVM ROMANORVM
 proposui. MATRIMONIUM enim, cujus memoriam
 renovatis, IUSTVM, LEGITIMVM, FAVSTOQUE fe-
 licius per QVINQVAGINTA annos stetit, floruit.
 Singularem itaque, quam semper ex pietatis studio er-
 ga VOS meo percepi, voluptatem insigniter augeri
 ea felicitate lætor, qua mihi VOS PARENTES inter
 filios venerari contingit. Arctissimum, quo VOBIS
 obstringor, vinculum, incomparabilia & innumera-
 bilia, quæ in me collocastis, beneficia, & indefessa de-
 niqve, qua de promovenda mea salute solliciti usque
 ad hoc fuistis momentum, cura, efficiunt officium, VO-
 BIS a me debitum, prorsus illimitatum, cui si præscri-
 pti quoque essent termini, eorum transgressione ni-
 hil jucundius, nihilque acceptius mihi futurum, obte-
 stor. Si itaque, OPTIMI PARENTES, istæ flammæ,
 qvi-



quibus regor, quibus accendor, ad exhibendam VOBIS reverentiam, & si preces filii VOBIS non invisæ sunt; FELICI, quo ante QVINQVAGINTA annos initi matrimonii memoriam, multos jam annos ultra SEXAGINTA transgressi, redintegratis, DIE indulgete licentiæ, qua motus, mei erga VOS cultus his instar xennii offerre testimonium, tentavi. Divinum, quod adoramus, NUMEN, & cujus grato agnosco animo gratiam, ea, qua VOS usque ad hanc, eamque provectam, profecutum est ætatem, benignitate VOS per plures annos salvos tectosque conservet, TIBIQUE, SVAVISSIME PATER, imprimis, ad sanctum TIBI demandatum munus peragendum, vires largiatur clementissime. Quod si pro VESTRA salute & incolumitate nuncupata vota optatum fortiantur eventum, VOS cum minoribus colere PARENTES felix gaudebo. Quibus me VESTRO PARENTALI adfectui & animo submisisse ulterius commendo, VOS vero

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula - -

VALETE!



Mr-3342

ULB Halle

3

005 814 09X





9710

76.039

OCCA
VIR
GEO

RVM
DVS
recht

S. S.
SACRORVM
CATHEDRALI
ATTRIBV

DR
TEMPLO
GRO VRBI
SIMVS

FE
SOPHI

THA

EX PROSAP
MEMORIAE
FELICITER
D. XI.

DRVM
ANNOS
AVSA

AD LEGEM

T SCTVM

DE NVPTIIS SE

AGENARIA

78-3372

FI
CAROL
A CANC
DRESDAE

KE
ri.

